





1748.

EXERCITATIO IVRIDICA, 1924/19
16
QVA
CAPITA QVAEDAM
IVDICII PROVOCATORII

EX
LEGE DIFFAMARI

ILLVSTRANTVR,
CONSENTIENTE
MAGNIFICO IVRE - CONSVLTORVM ORDINE

IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI

PRAESIDE

**DN. D. DIETERICO HERMANNO
KEMMERICHIO, ICto**

IVRIS NATVRAE ET GENTIVM PROF. PVBL. ORDINAR.
COLLEGII IVRIDICI H. T. DECANO,
AD DIEM XXVIII, SEPT. A. MDCCXXIV.

IN
AVDITORIO IVRIDICO

PVBlicAE DISQVISITIONI SVBIICIENDA

AB

AVCTORE ET RESPONDENTE

CHRISTIANO AVGVSTO BERGNERO,
SCHLEVSING. HENNEBERG. FRANCO.


VITEMBERGAE,

LITTERIS IOANNIS ANDREAE RÖBERI.



EXCITATIO VBI CA
CAPITA QUARUNDAM
IN DICHI PROVOCATORII
LEGIS DISPARATI
MAGNIFICI VBI COMPLETORUM ORATIONE
ACADEMIAE VBI BERGENSEM
DND DITTE RIGOR HERMANNO
KEMMERICHIO, ICSO
CHRISTIANO AUGUSTO RECTORI





§. L



Inter Præjudicia, quæ in Jurispru-
dentia nostra regnant, referenda
quoque videtur communis opinio
de *Judicio Provocatorio*, cujus funda-
mentum in famosissima Lege
Diffamari vulgo quæritur; cum
tamen ipse sensus & inspectio Le-

*Fundamen-
tum hujus
Judicii Prov.
in Lege Diffa-
mari vulgo
quæritur.*

gis doceat, neutiquam ejusmodi remedium in ista
latere, quo quis invitus ad agendum compellatur.
Nimirum rescriptum Imp. **DIOCLETIANUS &
MAXIMIANUS** in *L. Diffamari. s. C. de Ingen. & ma-
numiss.* hunc in modum: *Diffamari statum ingenuorum,
seu errore, seu malignitate quorundam, periniquum est:
Præsertim cum affirmes, diu Præsidem unum atque alterum
interpellatum a te, vocitasse diversam partem, ut contra-
dictionem faceret, si defensionibus consideret. Unde con-
stat, merito Rectorem Provincia commotum allegationibus
tuis, sententiam dedisse, ne de cetero inquietudinem susti-
neres. Si igitur ad huc diversa pars perseverat in eadem*

A 2

obsti-

obstinatione: aditus Præses provincie ab injuria temperari præcipiet. Expeditum hinc redditur, ait CARPZOVIUS (a), Remedium L. Diffamari ex Rescripto hoc fluxisse, quo diffamati in iudicium provocant diffamantes, ut, quem de se sparserunt, rumorem probent, & vel actione peculiari, vel modo probatorio, veritatem diffamationis deducant: aut, si hoc non fecerint, silentium iis imponatur.

§. II.

*Vera Legis
Diffamari
Sententia.*

At enim vero quis non videt, peculiarem *Acti-
onis*, quam vocant, *Præjudicialis* speciem hoc Imp. Rescripto contineri: quippe quo ei, qui in possessione ingenuitatis ab alio, per diffamationem, quasi non sit *ingenuus*, sed *servilis conditionis*, inquietatur, facultas conceditur, adito Judice, illum, qui diffamando statum ipsius speciatim ingenuitatem, sive per errorem, sive per malitiam, in dubium vocavit, atque se vel *patrum* vel *dominum* illius forte jactavit, provocandi, non ad *agendum*, sed ad *respondendum*, vel *excipiendum*, atque adeo officium Judicis implorandi, ad statum suum, adversus hujusmodi diffamationem, tuendum; ita quidem, ut Judex, vocata parte adversa, si ea non compareat, possit ac debeat, auditis diffamati allegationibus, sententiam proferre, ne de cetero status ejus inquietetur, atque id ipsum etiam præter ordinem curare (a).

§. III.

§. I. (a) *Process. Jur. Tit. XX. Art. 4. n. 2. 3.*

§. II. (a)

FEREZ quoque in *Comment.* suo in

Cod. hanc Legem explicat; cujus sententia, & VIRO Per-Illustri, N. D. de BERGER in *Elect. Process. Probos.* §. 4. probari videtur.

§. III.

Unde adeo regula quidem generalis formari poterit: Quotiescunque status quæstio alicui, per hujusmodi diffamationem sive jactationem, movetur, ^{Genuinum juris Remedium ex L. Diffamari enatum.} dari ei ex hac lege remedium extraordinarium, ut possit, implorato Judicis officio, eum in jus vocare, ut sibi, statum aliquem, veluti Nobilitatis, per modum actionis, sibi asserenti, contradicat, i.e. per modum exceptionis ea, quæ statum ipsius dubium reddere videntur, opponat, ac probationibus legitimis allatis, defendat: quoniam non facta, allegationibus vero diffamati auditis, actorem in quieta status sui possessione defendat, atque turbantem ulterius extra ordinem coërceat. At hujusmodi remedium, quale est vulgatum istud Judicium Provocatorium, quod ab hac Lege *Diffamari* cognominant, quo quis, contra notissimam juris analogiam (a) ad *instituentam actionem* invitatus cogatur, ex eadem Legge dari, sententiæ Legis neutiquam videtur consentaneum. Quod enim pars adversa non ad agendum, sed ad respondendum potius, vel excipiendum a Judice vocandus sit, verba, ut *contra actionem faciat*, item, si *defensionibus consideret*, quippe quæ ad responsionem vel *exceptionem* potius, quam ad *actionem* pertinent, satis arguunt: Si quidem is, qui agit, non tam contradicit, quam sibi contradicipatur, nec tam defensiva, quam offensiva, ut ita loquar, agit: Contra respondens, vel excipiens, & contradicit, & se adversus intentatam actionem defendit.

A 3

§. IV.

§. III. (a) *L. un. C. ut nemo inbit.* | *V. Art. 62. Vers.* Man soll niemand
ag. vel. accus. cog. Land Recht Lib. | zwingen zu einer Klage etc.

§. IV.

Genuina Ju-
dicii hujus
Prouocatorii
origo.

Ex moribus igitur & legibus Germaniæ, tam Imperialibus, (a) quam Provincialibus, (b) origo hujus Judicii, prout hodie in usu est, repetenda veniet. Et primum quidem, FRIDERICO III. imperante, istud usu receptum videtur (c): cum, interpretatione Prudentum, atque usu fori, sententia Legis Diffamari latius protendi cœpisset, quam verba legis admittere viderentur. At litibus deinceps ex hac lege innumerabilibus motis, mox tamen intermissis, Imperatori & Ordinibus Imperii in Comitibus Augustanis anno 1530. placuit, ut certis quibusdam Imperii Statibus emendatio hujus vitii permetteretur. Delecti igitur anno proximo Spire, qui in hoc negotio elaborarent: qui tamen, cum viderent, grauius esse vitium, quam ut medela ei tam facile afferri queat, anno 1531. rem denuo ad Ordines Imperii, Ratisbonæ convocatos, retulerunt, ubi tandem, CAROLI V. Imperatoris auspiciis, ita decretum fuit, ut non nisi in causis fractæ pacis publicæ, atrocium injuriarum, & aliis, actio ex hac Lege daretur. Sed cum ex hoc verbo, aliis, novæ existerent controversiæ, demum anno 1548. Augusta in Consilio publico Imperii, pro aliis, expressum fuit, similibus, i. e. ut non nisi ex grauissimis causis, veluti vis publi-

§. IV. (a) v. Rec. Imp. de anno 1530. §. 93. Ord. Cam. an. 1531. §. 35. Rec. I. an. 1532. Tit. II. §. 2. Ord. Cam. an. 1535. P. II. Tit. 25. Rec. I. anno 1554. §. 83.

(b) v. Ord. Proc. Sax. vet. Tit. I.

§. Also soll man auch ex L. Diffamari & Nobiss. recognit. Tit. V. §. 5. 6.
(c) Uti ex BARTHOL. BLAREII Comm. ad L. Diffamari qui Basilia A. 1579. 8. producit. referit N. D. d. BERGER l. c. §. 6.

cæ, sepulchri violati, & ejusmodi, quibus ob factam traductionem, scandalum publicum exoriri, vel quomodocunque tranquillitas Imperii perturbari queat, actio ex hac Lege detur, in aliis causis denegetur (d). Nihilominus, uti in tota fere Europa, ita & in Germaniæ provinciis passim, contra hanc Imperii Constitutionem, ex qualibet fere causa civili & criminali, reali & personali, petitoria & possessoria, non tamen sine omni restrictione, *Actio ex Lege Diffamari* hodie dari, sive processus, ut loqui amant, decerni solet (e).

§. V.

Neutiquam vero, temere, & præter juris rationem, istud remedium introductum esse, censendum est. Licet enim nulla detur actio, nisi interfit (a): non autem interesse videatur, quamdiu is, qui inania verba & jactabunda, minasque lusorias spargit, litrem alteri non intentat; eo quod vana hujusmodi jactantia con-

Justitia & ratio hujus remedii.

(a) v. *Ord. Cam. P. II. T. 25. ibi:* Demnach setzen und ordnen wir, daß Lex Diffamari an dem Cammer-Gericht verstanden und gebraucht werden soll, in Friedbrüchigen, Schmach und andern dergleichen Rachen, in denen solche Diffamation gefährlicher be- trüglicher weis, oder in andere wege, dem andern Theil zu Nachtheil und Beschwehrung geschehen ic. In *Rec. I. Nobiss. §. 83.* eadem confirmantur, & ne istud remedium in abusum trahatur, caverur, verb. Cammer-Richter, Resident und Besißer, unsers Kayserl. und des Heil. Reichs Cammer-Berichts sollen auch Heilige Aufsicht

haben, damit das remedium Legis Diffamari mit ungebraucht, sondern hierinn die Disposition sowohl der gemeinen Rechte, als der Reichs-Satzungen, in gute Obacht genommen ic.

(e) HEIG. P. 2. *QE. VIII. n. 1. 2.* GAIL. Lib. 1. *Obf. IX. n. 1. 2.* N. D. dcBERGER l. c. & §. n. & seqq. ubi de restrictione quod ad causas injuriarum, possessionis, delictorum, obligationis in diem, vel sub conditione, tertii, relationis diffamationis, latius agit.

§ V. (a) *L. 14. ff. de Cond. Inst. l. II. C. de pass.*

contemni mereatur : attamen utique interesse potest ejus, in quem, vel in cujus bonis, alter, jus se habere, prædicat, ne hujusmodi rumores de ipso divulgentur, qui in præjudicium rei familiaris aut famæ ipsius, vergere queant. Neque etiam existimandum, testatissimæ juris Romani ac Germanici regulæ, superius allegatæ, quod nemo invitus ad agendum cogatur, remedium hocce refragari : eo quod re ipsa nemo hoc pacto invitus ad agendum compellitur, sed cujusque potius voluntati relinquatur, cedere an contendere velit ; sicuti nec diffamatus, dum diffamantem ad judicium provocat, id primario intendit, ut diffamans adversus ipsum agat, sed potius, ut fileat. Quod si nihilominus agit, ex libera voluntate agit, propriæ scilicet utilitatis ratione adductus, ne, filendo, jure suo excidat : Quale coactionis genus in omni Judiciorum genere locum habet, ubi intra certum tempus agendum est, ne, eodem elapso, juri agendi præscribatur ; imo in omni judicii parte, ubi fatalia sunt observanda, ne penam contumaciæ luere oporteat. At uti hac ratione nihil adversus dictam Juris regulam admittitur, ita neque in hoc judicio quis ad agendum cogitur, si nolit agere : integrum enim est, & non agere, si juri suo renunciare velit. Ita patet, frustra justitiam ac rationem hujus remedii in quasi-contractu, vel tacita ad agendum obligatione, ex diffamatione enata, a nonnullis quæri (b).
Imo

(b) Quod faciunt MYNSING. *Uat, quia diffamare est, tacite ad*
Cent. III. Obs. 78. n. 1. 2. & GAL- *judicium provocare : ideoque diffama-*
LIUS P. 1. Obs. IX. n. 4. 5. qui diffama- *tor, eo ipso quod diffamat, ad judi-*
tor, inquit, tacite se ad agendum ar- *cem diffamati provocare. Et protulit*

Imo patet, frustra asseri, quod in materia diffamationis invitus quis agere cogatur (C).

§. VI.

Ex dictis natura & indoles Judicii Provocatorii, prout hodie obtinet, haud difficilis est ad intelligendum. Definiri nempe potest remedium juris, occasione Legis Diffamari, ex interpretatione Prudentum, usu fori receptum, moribusque ac legibus Germanicis probatum, quo imploratur Judex ad vocandum Diffamantem in jus, ut, si confiteatur diffamationem, vel statim eandem probet, vel actionem principalem, qua diffamatio niti videtur, instituat, vel, si neutrum præster, perpetuum silentium sibi imponi

B pati-

Natura & indoles hujus Judicii Provoc.

agere velle intelligitur: CARPZOV Proc. Jur. Civ. Tit. XX. Art. II. n. 13. & complures alii. At qui necessitate adstringitur ad agendum, nec obligationi huic, invito altero, cui obligatur, renunciare, neque adeo vel agere, vel non agere, potest: quod tamen in potestate diffamatoris esse, ipse GAILLIUS num. seqv. 6. admittit. Ut taceam, sæpe nihil minus esse diffamanti, quam animum jure adversus diffamatum expetiundi; cum sæpe sola jactantia, vel ut æge tantum fiat diffamato, sit causa diffamationis.

(C) Quæ itidem est assertio GAILLII l. c. quam plerique alii comprobant. Sed GAILLIUS sibi ipsi adversus videtur, dum n. 6. subjicit: Eff

quidem Citatio ex L. Diffamari voluntaria: quia in voluntate, & potestate citati, puta diffamatoris, est comparere & agere, vel proponere suam diffamationem, aut non comparere. Quod si ergo in voluntate & potestate diffamatoris est, comparere, aut non comparere, quomodo invitus agere cogitur? Imo recte & hoc addit: Et sic constat, hanc citationem nihil aliud esse, quam meram denunciationem, vel admonitionem ad explorandam voluntatem citati: cujus citationis finis est, ut, si citatus sui interesse putaverit, Veniat, & intra præfixum terminum de pretensio & jactato jure suo agat, aut in posterum ab iniqua jactatione abstineat.

patiatur (a). Utrum actio, an imploratio officii Judicis, conductio ex lege, vel ex moribus, remedium ordinarium, an extraordinarium, istud appellandum sit, supervacaneum fuerit disputare (b): cum hujusmodi deno-

mina-

§. VI. (a) Aqua definitione parum, nitallor, ablutit brevior STRUVII Synt. 7. Civ. Ex. IX, §. 4. quod sit remedium, quo imploratur Judex, ut diffamanti diem praesumat, intra quem is ad forum diffamati veniat, actionemque suam ibi proponat ac probet: aut nisi fiat, ut aeternum ei silentium imponat.

(b) v. GAIL. l. n. 7. WISSENBACH. Disp. ad π. XXVI. th. 6. in fin. BACHOV. ad TREUTLER. V. I. Disp. XXIII. th. I. lit. d. LAUTERBACH Comp. Jur. Tit. de Condit. ex Lege, & Conclus. forens. Ex. XXV. th. 7.

* Opera pretium fuerit, exemplum rem illustrare: Studiosus Medicinæ, Sempronius, de virgine, Seja, sermones spargit, sibi certam pecuniæ summam, ad obtinendos honores Doctoris, ab eadem promissam esse, hac lege, ut eam uxorem ducat: Seja igitur certior de Sempronii diffamatione reddita, adversus illum, prævia imploratione pro obtinenda citatione, sequentem in modum in Judicio Ecclesiastico experitur: Diffamations-Klage Seja Diffamanten und Provocanten an einem, Sempronium Diffamanten und Provocaten andern theils. P. F. Saget zu Anbringung ihrer Klage, kühlich, welcher Artskalt, Diffamant und Provocat ein

Studiosus Medicinæ nahmentl. Sempronius sich unterstanden, nach dem inducto attestato jurato sub ☉. hier und dar von Diffamanten und Provocanten öffentlich vorzugeben, als ob Diffamate und Provocante Diffamanten und Provocaten ein gewisses Stück Geld a 600. thlr. das selbiger Doctor Medicinæ werden und Diffamanten und Provocanten nach diesen heyrathen sollte, versprochen hätte. Nachdem aber solches öffentliche Vorgeben von Diffamanten und Provocanten in einen puren Ungrund und Diffamation beruhet, Diffamate und Provocante hingegen diese Diffamation länger zu leiden nicht gemeynet: Als ist Diffamate und Provocante zu Anstellung dieser Diffamations - Klage bewogen worden: fordert von Diffamanten und Provocaten gebührende Einlassung und Antwort und wenn solches erfolgt, Bittet Diffamate und Provocante in Rechten zu erkennen oder zu verabschieden:

Das Diffamante und Provocate seine Diffamation binnen gebührer Frist erweisen, oder in Entschuldig, ihm Diffamanten und Provocaten ein ewiges Stillschweigen auferlegt werden, und andern die auf diesen Process gewendete Unkosten ersetzen solle.

minationes naturam remedii haud mutant; quippe quæ velex legibus, vel ex usu & observantia, est metienda.

§. VII.

Probe autem in hoc Judicio discernendum est *Judicium Diffamationis a Judicio Actionis*: Prius *preparatorium* est, quo via tantum aperitur Judicio principali; dum de veritate jactationis ac traductionis de qua ante omnia constare debet, instituendaque actione, aut silentio diffamanti imponendo agitur; Posterius principale est, quippe quod ad causam principalem, sive rem, de qua quis diffamatus fuit, spectat, dum ipsa actio, qua diffamatio niti videtur, instituitur. Unde simul intelligitur, quis, pro diversitate Judicii, *Actor*, *Quis Actor vel rem sit.* quis *Reus*, sit censendus. Scilicet in Judicio preparatorio *Diffamatus Actoris* vices sustinere videtur; cum is primo litem intenter, Judicem adeat, atque de diffamatione conqueratur: Solet tamen *Provocantis* porius, quam *Actoris*, uti *Diffamans Provocati*, nomine insigniri. At in Judicio principali haud dubie *Diffamans Actor* est, quippe qui jam causam & fundamentum intentionis suæ, quæ antea diffamatio audiebat, deducit.

§. VIII.

Sed quis in hujusmodi Judicio *Judex* erit *competens*. Non desunt, qui Provocationem fieri posse, existimant, *Forum hujus Judicii competens.*

B 2

mant,

§. VII. v. CARPZ. l. c. *Art. 1. n.* | PEREZ. l. c. n. 7. N. D. de BERGER. 29. 22. GAIL. l. c. & *Obs. X. n. 8. n. 7.* | l. c. §. 7. & 19.



mant, coram quolibet Judice, etiam utriusque competente (a); cum, quod is, qui diffamat, se ipso facto ad agendum, ubicunque Diffamato visum fuerit, arctet; quæ adeo nova, eaque moribus introducta, esse videatur tacitæ prorogationis species; tum, quod non interfit Diffamantis, imo hoc facto eidem augeatur potestas eligendi fori, quod ad principalem actionem attinet. Imo posset videri Diffamantis Judex adeundus esse; cum is cogere possit Diffamantem, ut proponat causas quas habet, diffamationis; nemo autem cogi possit, nisi a suo Judice, nec in alieno sit potestas cogendi non subditum. At convenientius videtur, ut vocetur Diffamans ad *Judicem Diffamati*, ita tamen, ut *causæ* simul ratio habeatur (b): quoniam Diffamatus in Judicio principali Reus est, cujus adeo forum Actor Provocatus sequi tenetur (c). Quod tamen ita capiendum, modo Diffamans, si non sit Diffamati Provocantis Judici subjectus, citetur per subsidium Magistratus competentis (d): Itemque si plura Diffamatus sortiat fori, ut Diffamanti electio fori non sit deneganda

§. VIII. (a) v. CARPZ. P. III. Decis. 213. MEV. Decis. 213. SCHWENDEND. Procs. Fibig. n. 716. pag. 1548. N. D. de BERGER. l. c. §. 20.

(b) Veluti si hæc foro gaudeat privilegiato; Unde si causa sit ecclesiastica, sive matrimonialis, provocationem in Judicio Ecclesiastico instituendam esse, facile intelligitur.

(c) Hæc concursus est Interpretum opinio, usu fori satis probata, quod

ex L. Diffamari agi debet coram iudice diffamati, ad instituendam scilicet actionem contra diffamatum, vel ad tacendum; ait CARPZOV. Proc. §. c. 1. c. Art. II. n. 1, qui & plures alios consentientes excitat: ut adeo mirum sit, ipsum in Decis. alleg. a se ipso dissentire. Add. GAIL. Obs. IX. n. 7. PEREZ. l. c. n. 9.

(d) v. SCHWENDENDORFF. l. c. n. 717. BERGER. l. c. §. 21.

da (e). Atque ista sententia non solum videtur communior, sed etiam Ordinatione Saxonica Regio-Electorali, novissime recognita (f) probata est: quippe quae vult, ut Processus Provocatorius ex Lege Diffamari non atibi, nisi in Foro ordinario, ad quod causa principalis pertinet, instituat (g).

§. IX.

Non prius vero Processus a Judice decernendus, neque ad Citationem Diffamantis progrediendum, quam fides saltem probabilis diffamationis Judici sit facta (a). Id quod singulare est in Judicio hoc Provocatorio, in quo, secus ac in aliis judiciis, nudis Supplicantis narratis ad eum effectum haud statur, sed demonstratio aliqua diffamationis requiritur statim in limine iudicii, ni ab eodem Diffamatus, cum refusione expensarum, velit repelli (b). Imo tam necessaria ista creditur, ut citatio, ea deficiente, decreta & insinuata, nullum habeat effectum, neque ad silentium

Diffamatio
Judici, antequam citationem decernat, demonstranda.

B 2 diffamatio

(c) v. CARPZ. l. c. n. 15.

(f) Tit. VI. verb. Und sonst überhaupt, zu vermeidung allerhand unbedingten Disputats &c.

(g) Unde & Diffamatoris Exceptio, & Fori Exceptio saltem in foris nostris Saxonice utique attendenda; secus, ac SCHWENDENDOERFFER l. c. opinatur.

§. IX (a) Exigit hoc Ordin. Cam. l. c. ibi: durch schriftl. oder ander glaublich Urkund. Item Ordin. Proc. Elect. Sax. Tit. I. in fin. verb. Es habe den jübor Kläger gebührlichen Schein der Ver-

meinten diffamation seiner Supplication pro decernenda citatione beigelegt. Quod Ord. Recogn. Tit. V. §. 5. reperit, & ulterius ita declarat; dass vor Eröffnung des Diffamations Processes Diffamat entweder von beuten Documenten wodurch er die angegebene Diffamatio zu becheinigen ver meynet, gerichtlich eidämirte Abschriften, oder wenigstens eines gerichtlich abgehörten Zeugens ephliche Aussage, der Provocation beizulegen.

(b) v. GAIL. Obs. X. n. 7. §. CARPZ. Art. III. n. 1. § 4.



diffamanti non comparenti imponendum valeat (c). Demonstratio fit per *Documenta* (d), vel *Testes*; ita tamen, ut minus plena quoque sufficiat, per unum scilicet testem, aut attestatum, sed juratum; vel exemplum documenti, saltem aliqua personæ publicæ fide munitum, facta; idque supplicationi adjectum. *Jurisjurandi* vero *delationi*, pro docenda diffamatione, non est locus: quoniam, secundum modo dicta, demonstratio Diffamationis, antequam citatio decernatur, debet esse in promptu (e). Quamvis, cessante hoc requisito nulla appareat ratio, cur juramenti delatio non esset admittenda (f). Ceterum uti summaria est hæc demonstratio, quæ soli Judici fit: Ita & Judex solus de ea cognoscit, atque arbitratur, nec recognitionem documentorum, forte adjectorum, exigit. Quod si satis demonstratam censeat diffamationem, *Citationem* (g) præfixo *Termino* legitimo, integrum nempe

(c) v. MARTIN, *Comm. Proc. Tir.* 2. §. 6. n. 51.

(d) veluti *Litteras diffamantis*, vel *Picturas* famosas. Conueverunt enim Creditores aliquando morosos debitores, ex pacto & conventionis, famosis *picturis* traducere, easque picturas publice proferbere: unde scandala, homicidia, atrocina, & nonnunquam bella illicita sequuta sunt. GAIL. l. c. n. 8.

(e) v. *Ord. Recog.* l. c. RIVIN, *Tir. I. Ep. 20.* SCHWENDEND. p. 559. MEV. P. III. Dec. 393. n. 2. 3. N. D. de BERGER. §. 27. 28.

(f) Add. LUDOVICI. *Disp. de Impos. Silent.* Cap. II. §. 4.

(g) An *edictalis citatio* ex L. *Diffam.* locum habeat aduersus eos, a quibus actio aliqua metuenda; forte, quod falsa chirographa, aut literas cambiales alicujus in manibus habere dicuntur: aliquando ab *Ord. Jure-Conf. Visemb.* quaeritum, atque, recte negatum est: quod citatio ex L. *Diffam.* non decernatur, nisi diffamatio sit demonstrata; quod fieri non potuit, quamdiu metuendi actores fuerunt ignoti. Conf. Magnif. Dn. WERNH. P. III. *Obf.* 177.

spatium Saxonicum regulariter continente (h), decernit, atque Diffamanti insinuandam curat (i).

§. X.

In *Termino* Diffamatus libellum diffamationis repetit, atque Diffamantem ad respondendum provocat, cum annexo petito convenienti, uti ex proposito superius exemplo apparet. Quod si jam Diffamans per *contumaciam* vel plane emanat, vel non respondeat: alia procedendi ratio in *Camera Imperii*, iisque Judiciis, quæ observantiam *Camerae* sequuntur, servatur; alia in foris *Saxonis*, & in his, præsertim Electoralibus, alia olim servata fuit, alia hodie & in posterum servanda erit. *Camera Imperialis* stylo unica citatio ad imponendum silentium haud sufficit, sed altera accedat oportet, quæ, prævio proclamato, & elapsis sex juridicis, ad implorationem Diffamati, demum perpetuum silentium operatur (a). In *Foris Saxonis* olim pluribus adhuc ambagibus opus fuit, nec nisi tertia citatio, comminatione perpetui silentii, vel pœna contumaciæ, coarctata, hunc produxit effectum: ita, ut Diffamans tertio citatus, inque contumacia perseverans, perpetuo tandem silentio fuerit multatus (b). At novissime istæ ambages, auctoritate Regia & Electorali,

In primo
Termino si
contumax sit
Diffamator,
quomodo
proceden-
dum.

(h) arg. *Mand. Elect.* a. 1670. d. 22. Aug. ap. MARTIN. *Comm. Pros. Tit. IV. §. 1. n. 189.*

(i) Et quidem, si Diffamans ipsius jurisdictioni non sit obnoxius, mediate per subsidium Magistratus competentis: quo insinuationem denegando, etiam citatio a Diffama-

to petita, ac per sententiam Judicis probata, decerni potest. RICHTER. *Decis. 100. n. 55.* SCHWEND. p. 1549.

§. X. (a) v. GAIL. *Obs. XII. n. 4.* seq. BLUM. *Pros. Camer. Tit. XXXVI. §. 20.*

(b) CARPZ. *Art. III. n. 13. - 30.*

rali, sublatæ sunt, ita, ut in posterum statim secunda citatio perpetui silentii comminatione munienda, atque contumacia, in secundo quoque termino perdurans, perpetui silentii pœna, atque restitutione expensarum, mox coërcenda sit (C).

§. XI.

Quodsi placuerit Diffamanti, in Termino comparere, atque ad Prouocationem respondere, in interest, utrum ipse diffamationem confiteatur, an vero neget. Si negaverit, Diffamato Prouocanti ejusdem incumbet probatio (a). Modo e re sua visum fuerit, probatio-

Quid si compareat Prouocatus, atque diffamationem neget.

(c) *Ord. Proc. Recogn. Tit. V. §. 6.* ibi: soll alsofort in primo Termino Diffamanten, da er nicht erscheint, oder der Einlassung und Antwort auf die Diffamation-Klage sich verweigert, solche sub Pœna perpetui silentii, und bey fernern Ungehorsam in folgenden Termino ein ewiges Stillschweigen, und zwar in beyden Fällen, mit Erstattung derer Unkosten, etc.

* In primo igitur Termino in contumaciam ita pronuntiandum: daß Diffamant und Prouocat, nach anderweit vorgebender gebührender Laubung, auf die erhobene Diffamations-Klage, sub pœna perpetui silentii, sich einzulassen, und zuantworten, und weil er solches vortezo nicht gethan, die Unkosten dieses Termins, nach vorgebender deren Liquidation und richterlichen Ermäßigung, Diffamanten und Prouocanten zu erstatten schuldig. v. r. w. in secundo Termino ita: daß Diffamant mit seinen Zusprüchen, und Klag-

ae, da er gleich deren einige wider Diffamanten haben möchte, ferner nicht zu hören, sondern ihm ein ewiges Stillschweigen billig aufuerlegen. Für übrigen ist derselbe die dießfalls verurtheilte Unkosten etc.

** Pro cautela erit, ut Diffamans, cause confidens, Terminum præfixum, adductis rationibus, Appellationis remedio suspendat, atque interim actionem principalem instituat. Quo remedio tamen, secundum *Ordinat.* l. c. non erit opus, si Diffamator documento grauentigiato, pro tuenda intentione, in iudicio principali, gaudeat, atque Diffamatum minimum intra 4. hebdomades ante Terminum ad recognitionem illius citari curet.

§. XI. (a) v. *Ord. Cam. l. c.* ibi: Und so solche Proces erkennt, und drauß die Diffamation, wie sich gebühret, in Recht dargethan etc. *Add. GAL. l. c. n. s. BLUM, l. c. §. 22.*

tionem suscipere, nec potius negationem Provocati amplecti, atque in rem suam vertere (b). Probationem suscepturus Diffamatus vel documenta authentica in promptu habeat, atque ad recognoscendum producat, vel, testimonio, quod supplicationi initio subjunxerat, attestatum adhuc unum, idque juratum, ut plena fiat probatio, adjiciat; si vero hoc destituitur, in supplementum jurabit (c). Quod si in probando defecerit, Provocatus a iudicio hoc præparatorio absolvetur, atque Provocans in expensas litis condemnabitur (d).

C

§. XII.

(b) Non semper tuta videtur, quæ tantopere commendatur, prima regula juris; si fecisti, nega: Sed nocere aliquando potest intemptiva negatio; præsertim in casu diffamationis, qua Diffamans, jus in Diffamatum, aut in ejus res, sibi asseruerat. Dum enim deinceps assera antea, in iudicio provocatus, diffictetur, tacite confiteri videtur, jus suum, de quo gloriatus fuerat, nullum esse; atque adeo aliquando ejus nomine acturo obstabit confessio judicialis *L. 6. §. de Confessis*, quæ pro rei veritate habetur. *L. 207. §. de R. J.* Con-sultum igitur sapius erit, ut Diffamans, jure suo fretus, atque idoneis probationibus, ad istud tuendum, instructus, diffamationem potius fateatur, atque ad eam probandam, vel actionem

tem, sese offerat. Plane quemadmodum actione negatoria conventus asserendo respondere, sed insimul ser-vitutum sibi competentem, ein Zeu-gniß, sibi asserere solet.

(c) v. *Ord. Sax. El. Recogn. l. c.*, §. 7. ibi: Und so dann ferner in Ter-mino, da Diffamans angelegter Diffa-mation nicht geständig wäre, mit Pro-duction deren Originalien gefast seyn; oder da er noch ein eydlich Zeugniß, zu Ergänzung des Beweises, zu denen Acten zu bringen nicht vermöchte, in Supple-mentum schwören.

(d) Hunc modum: daß Diffamac dasjenige, so ihm zu bescheinigen auf-erleget, und er sich angemasset, nicht beygebracht; derowegen die Diffa-mation-Selage nicht statt hat ic. v. SCHWEND. l. c. p. 1559.

unda
, at-
erdu-
pen-

com-
erest,
eget.
cum-
roba-
tio-

ber Dif-
nicht zu
Stills
Im
verur-

amans,
prelixio-
interim
t. Quo
rdinat.
vor do-
tuenda
li, gau-
nimum
Termini-
citari

c. ibi;
und das
gebühre
3. GA-

§. XII.

Quomodo,
Diffamante
confesso vel
conficto, in
judicio prin-
cipali proce-
dendum sit.

Frequentius forte in praxi eveniet, ut Provocatus diffamationem *confiteatur* (a), vel saltem illius ex litteris aut testibus productis, uti par est, *convincatur*, quo facto *Judicium principale* suum capiet initium. In hoc duplici via a *Diffamante*, qui jam *Aëtoris* personam induere incipit, cui *probandi* onus incumbit (b), procedi poterit: vel, citra oblationem novi libelli, statim super *fundamento actionis principalis*, quo nitebatur diffamatio, sive *exceptione veritatis*, responsioni affirmativæ annexa, *probationem per testes*, aut documenta aggrediendo *jusjurandum* Diffamato deferendo (c), vel *actionem principalem* intra certum temporis spatium instituendo. Prius olim in foris Saxonice locum tantum in causis

§. XII. (a) Scilicet affirmative ad libellum diffamationis respondendo, hunc fere in modum:

Affirm. daß Diffamant und Provocat Sempronius von Diffamaten und Provocanten hier und dar ausgeprochen, daß Diffamate und Provocante Diffamanten und Provocaten ein Stück Geld a. 600. Thaler. versprochen.

Affirm. daß es eben zu dem Ende geschehen, daß Diffamant und Provocat, Sempronius, Doctor Medicinæ werden sollte.

Affirm. daß Diffamant und Provocat ferner vorgegeben, daß selbiger Diffamaten und Provocanten heyrathen sollte; opponendo exceptionem veritatis facti, in specie pacti. conventi, promissæ pecuniæ, et promissi matrimonii, welche angeführte exceptiones Diffa-

mant und Provocat rechtlichen außzuführen sich per expressum vorbehalten wil te.

(b) v. BLUM. l. c. §. 22.

(c) Circa delationem juramenti cautum esse oportet Diffamantem, ut, ante lacam in judicio diffamatorio sententiam, qua probatio ipsi injungitur, responsioni affirmativæ statim adjungat delationem jurisjurandi: quia deinceps, jusjurandum delaturus, non audietur. Uti monet N. D. de BERGER, §. 40. Id quod etiam in causa Caspar Christoph Sande fossen und Consorten contra Andreem Düntingen observatum, atque ab *Ord. JCor. Pitemb.* probatum, uti testatur sententia, hujus *Facultatis* nomine, ad interrogationem *Senatus Wierogero.* a Dno *Præside* concepta, in *Appendice* adjuncta.

summariis atque executivis habere censebatur: posterius vero in causis ordinariis (d). At per *Sanctionem Saxoniam Regio-Electoralem*, novissime recognitam (e), utrumque, citra distinctionem causarum, admittitur: ita quidem, ut nisi prius extemplo fiat, posterius, non intra duplex, sed simplex & confvetum spatium Saxonicum, ei fit injungendum.

§. XIII.

Quodsi jam probatum sit actionis principalis fundamentum, vel exceptio veritatis, aut juramentum Diffamato delatum præstari non potuit, Diffamatus condemnatur pro natura actionis & negotii principalis. Quod si vero per Documenta vel testes nihil probatur, aut juramentum delatum præstitum sit, Diffamatus ab actione principali absolvitur, ac

Diffamanti perpetuum imponitur
silentium.


F I N I S

S. D. G.

(d) v. CARPZ. l. c. n. 37. sqq.

(e) l. c. verb. Diffamant hingedgen. wenn er der Diffamation geständig, oder wenn er nur gedachtermassen, zur Nothdurfft überführet, nach befinden, entweder also fort über dem fundamento actionis principalis sich der Endes-

Delation, oder Beweises gebrauchen, oder, daß ihm die Anstellung der Haupt-Klage, und zwar nicht in doppelter, sondern nur ordentlicher Sächsischer Frist auferlegt werde, gewärtig seyn solle.



APENDIX.

Sententia Facultatis Vitembergensis

in causa

Caspar Sandfossen und Consorten / Diffamaten und
Wider-Beklagten an einem / Andreen Büntings / Diffa-
manten und Wider-Klägers / andern theils/ ad interroga-
tionem Senatus Wernigerod. A. 1720. m. Maj.
pronunciata.

P. P. Diweil Diffamant und Wieder-Kläger auf die
erhobene Diffamation-Klage geantwortet / und der Diffamation
nicht in Abrede / Diffamaten und Wieder-Beklagte hingegen
solcher allenthalben nicht geständig / so sind diese hierüber ihr
Gewissen Wissenschaft und wohl bewußt / nach vorgehenden
Diffamantens Eyd vor Gefährde / zu eröffnen schuldig / es wola-
ten den selbige Diffamanten den Haupt-Eyd referiren / oder ihr
Gewissen mit Beweß vertreten / damit werden sie in gehö-
riger Frist billig zugelassen. Es sind auch Wieder-Beklagten
auf die Wieder-Klage nach anderweit vorgehender gebührender
Ladung / sub poena confessi & convicti sich einzulassen und zu
antworten / so wohl aller Anzüglichkeiten zu enthalten verbun-
den / und ergeheth in der Sache ferner was Recht ist. Von
Rechtswegen.

RATIONES.

Ob wohl Diffamaten und Wieder-Bekl. vermeynen/
daß Diffamant zu förderst auf die Provocation sich einzulassen und
das Docum. sub. A. recognosciren / nach dem aber wenn dieses
geschehen allererst actionem principalem durch Überreichung ei-
nes ordentlichen libells anstellen müssen / hiernächst daß in re-
conventione von selbigen die Diffamation nicht bescheiniget / und
mit selbiger actio injuriarum inepte cumuliret / daher sie we-
der auf die Eydes-Delation in conventione, noch auf die Recon-
vention sich einzulassen verbunden gewesen ;

D. u. D.

D. a. d. bewährter Rechts-Lehrer Meynung nach/ einem Diffamanti freysetzet / vel actione peculiari, vel modo probatorio veritatem diffamationis zu deduciren.

CARPZ, Proc. T. XX. A. 1. n. 3.

auch das letztere von Diffamanten erwöhlet/ und da er die in dem Docum. sub. A. enthaltene Puncta und Forderungen nicht in Abrede ist / es keiner Recognition weiter bedarff / daher über solche Forderung / welche Diffamaten in ihrer Klage vor un- wahr ausgeben / loco probationis, der Eydes-Relation sich gar wohl gebrauchen können / dahingegen Wieder- Kläger und respective Diffamat ratione der von Wieder- Beklagten und respective Diffamanten beschehenen Diffamation auf notorietatem, und / daß solche in loco Judicii geschehen / also dem Magistrat befehlet/ sich berufft/ solches auch von Wieder- Beklagten nicht abgelehnet worden/ soltlich keine Bescheinigung der Diffamation nöthig gewesen; hiernächst die Actio ex L. diffamari mit der Actione injuriarum nur in solchen Fall nicht cumuliret werden kan / wenn beyde über einen Punct angestellt werden/

CARPZ, Proc. T. XX. A. 2. n. 29. sqq.

dahingegen / allhier jede über diverse Puncte angestellt seyn/ soltlich Wieder- Beklagten und Diffamanten sich der Einlassung nicht entbrechen können: So ist von uns gesprochener massen billig erkannt.



PRAESTANTISSIMO
RESPONDENTI SVO
DN. CHRISTIANO AVGVSTO
BERGNERO

S. P. D.

PRAESES.

Obtulisti mihi Exercitationem
tuam, Lipsiæ, a te ita elabo-
ratam, ut industria & co-
natus tui laudari utique mereantur.
Nihilominus quædam mutanda
dixi, quædam etiam refecanda, cum-
primis ea, quæ, per modum proce-
mii, de variis, quæ in Juris pruden-
tia

2

tia regnant, Præjudiciis, non incite
quidem, sed prolixius tamen, quam
leges bonæ methodi in hac Dissertatione permittebant, disserueras.
E contrario nonnulla addidi, quæ argumentum Dissertationis propius tangebant, atque ad Processus huius provocatorii, de quo agere instituisti, illustrationem magis spectabant; quantum scilicet brevissimum temporis spatium, huic operæ destinatum, permisit. Licet enim etiam horum pleraque ita comparata sint, ut nondum ab aliis nihil de iis dictum sit: tamen neque hoc ad specimen studiorum juridicorum, ab eo, qui, ad praxin forensẽ exordendam se haud esse inidoneum, publice ostendere voluit, edendum necessario requirebatur; præsertim cum

657.
cum & ea, quæ jam ab aliis dicta
sunt, interdum ulterius illustrari, at-
que in clariore luce poni queant.
Ego de eximio hoc eruditionis tuæ
juridicæ specimine tibi gratulor, pro-
sperosque causas in foro aliquando
oranti successus apprecor. Vale.

Vitemb. A. M D C C X X I V

d. 26 Sept.



Wittenberg, Diss; 1724 A-K




f
sb.

V018 bod 12







EXERCITATIO IVRIDICA,
QVA
APITA QVAEDAM
CII PROVOCATORII
EX
LEGE DIFFAMARI
ILLVSTRANTVR,
CONSENTIENTE
ICO IVRE - CONSVLTORVM ORDINE
IN
ADEMIA VITEMBERGENSI
PRAESIDE
DIETERICO HERMANNO
EMMERICHIO, Icto
VRAE ET GENTIVM PROF. PVBL. ORDINAR.
COLLEGII IVRIDICI H. T. DECANO,
ID DIEM XXVIII. SEPT. A. MDCCXXIV.
IN
AUDITORIO IVRIDICO
BLICAE DISQVISITIONI SVBIIICIENDA
AB
AVCTORE ET RESPONDENTE
IANO AVGVSTO BERGNERO,
SCHLEVSING. HENNEBERG. FRANCO.
VITEMBERGAE,
ITTERIS IOANNIS ANDREAE RÖBERI.

1724/19
16

13/

